



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XXI. Junii. Festum S. Aloysii Gonzagæ Confessoris

[S.l.], [ca. 1770]

Lectio IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62800)

Die XXI. Junii.

FESTUM S. ALOYSII GONZAGÆ
Confessoris.

Duplex.

Pro totâ Germaniâ, Italiâ, & Insulis adjacentib.

*Omnia dicuntur de communi Confessoris non
Pontificis, præter sequentia.*

Oratio.

Cœlestium donorum distributor DEUS,
qui in Angelico Juvene ALOYSIO mi-
ram vitæ innocentiam pari cum pœnitentiâ
fociâsti; ejus meritis & precibus concede;
ut innocentem non secuti, pœnitentem
imitemur: Per Dominum &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectioes de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Aloysius, Ferdinandi Gonzagæ Castel-
lionis Stiverorum Marchionis filius,
festinato propter vitæ periculum baptismo,
prius cœlo, quàm terris nasci visus; pri-
mam illam gratiam tam constanter retinuit,
ut in ea confirmatus crederetur. A primo
rationis usu, quo se Deo statim obtulit, vi-
tam duxit quotidie sanctiorem. Novennis
Florentiæ ante aram Beatæ Virginis, quam
parentis loco semper habuit, perpetuam
Virginitatem vovit; eamque insigni Dei

X

be.

beneficio, nullâ mentis, aut corporis pug-
nâ tentatam, servavit. Reliquas animi
perturbationes cœpit ætate illa tam fortiter
comprimere, ut ne primo quidem earum
motu deinde incitaretur. Sensus etiam,
oculos præcipuè, ita cohibuit, ut non
modò illos nunquam in faciem intenderit
Mariæ Austriacæ, quam plures annos in-
ter honorarios Hispaniarum Principis eph-
ebos ferè quotidie salutavit; sed à Matris
etiam vultu contineret. Homo propterea
sinè carne, aut Angelus in carne meritò
appellatus. *ꝛ.* Honestum.

Lectio V.

Adjecit sensuum custodiae corporis cru-
ciatum. Tria singulis hebdomadis
jejunia eaque plerùmque modico pane, &
aquâ tolerabat. Quamquam perpetuum
fuisse per id tempus ipsius jejunium videri
potest; cùm ejus prandia fermè vix unci-
am æquarent. Sæpè etiam ter in die se funi-
bus, aut catenis cruentabat: flagella quan-
doque canum loris, cilicia equorum calca-
ribus supplevit. Mollem lectulum clam
injectis asserum fragmentis asperabat;
eò etiam, ut citiùs ad orandum excitare-
tur. Magnam quippe noctis partem, sum-
mâ etiam hieme, solo tectus indusio, po-
sitis humi genibus, vel præ languore ja-
cens